EPISTOLA
AD MAGNIFICUM DOMINUM
CHRISTOPH. HEINREICHIUM
SERENISS. ELECTORIS BRANDEBURG.
CONSILIARIUM
ET BIBLIOTHECARIUM BEROLINENSEM
SUPER OBITU COGNATI SUI
MAGNIFICI VIRI
LUDOVICI PUSCHII
CONSULIS THORUNENSIS
HÆREDITARII BRZEZNENSIS
REIQ. BELLICÆ PRÆFECTI.

MAGNIFICE DOMINE!

SExtus annus vertitur, cum Guelpherbytelenſi e bibliotheca meas ad te literas darem, ut ex dubiis qvibuſdam geographicis, pro interiori harum rerum cognitione tua, hæſitantem benigne eriperes. Ab illo tempore, qvo in has oras adſcitus eram, ut iuxta humaniora literarum ſtudia, mathematicas diſciplinas iuventuti traderem, non audebam te ſcripto compellare. præſertim poſtqvam fama atqve auditione acceperam, immortali Pandectarum Brandeburgenſium opere, te non modo præla typographorum, ſed omnium gentium ingenia fatigare. Qvod cum aliqva eius pars ſuperiori proxime anno, in ſcenam oraqve hominum protracta iam ſit, effeciſti, ut incomparabilis Europæ theſaurus, bibliotheca electoralis, in ſola Marchiæ acropoli hactenus conſpicua, in privatorum qvoqve muſeis nunc habeatur proſtetqve. Faxit modo Deus, ne vita prius te deſerat, qvam affecta laudabiliter abſolvas! Sic in tam vaſto ſcientiarum mari errantibus muſis ſtatues Cynoſuram. imo pharum lucidam, qva duce eruditionis portum contingere omnes poſtulabûnt. Qvod ſi hoc cimelium, exemplo magni Hevelii aliorumqve, publicæ apud nos bibliothecæ largiri volueris, nos principem illi aſſignabimus locum, & tu eo munere inſigniter famam augebis. Fuerunt qvidem cauſæ ſat graves, venerabundus

te

te adirem, gratumqve animum ſaltem per literas teſtarer, qvas inter haut poſtrema ampliſſimum ex teſtamento legatum Hendrichianum, a conſangvineo tuo, gymnaſio noſtro ſimul ac mundo valedicturo, nuper admodum docentium ordini deſtinatum. niſi animum pridem induxiſſem teſtatoris laudes iuxta cum Krivesſii noſtri ſtipendiis plane invidendis, non brevi epiſtola, ſed iuſto opere, actuqve ſolenni, pro roſtris & ambone complecti. Enimvero, ſi Novocomenſes Itali in ſinu gaudent, & anniverſaria ſolennitate Plinii iunioris, civis ſui, memoriam in hunc uſqve diem concelebrant: qvod legatum annuum in alimenta ingenuorum conſtituerit. non ſine ingrati animi, ne dicam impietatis nota, cum laudatis fundatoribus, & publici ærarii præfectos, ſacram hanc metalli partem, ex fideicommiſſo ſupremæ voluntatis, tam prompte exſolventes, ſilentio præterire poſſumus. Sed alia præſentis epiſtolæ cauſa eſt: nimirum abitio in cœleſtem patriam cognati tui, viri uti ex perantiqva gente oriundi, ita antiqvi moris tenacisſimi. cuius luculentisſima documenta afferre liceret, ſi epiſtolæ ratio permitteret. Nam, qvanta Noſter prudentia, peritia & uſu maximarum rerum, qvantis animi dotibus, qvamqve inſigniter meritus adminiſtratione rei bellicæ, explicari hic haut poteſt: eo enim animo in publicum ſemper fuit, ut domeſticas propriasqve utilitates, libenter poſtponeret

communibus: ne maiore cum cura familiarem, qvam civium res tueri videri posſit. Hinc illud duntaxat tempus, qvod a civilibus negotiis ſuffurari licuit, colendo prædio inſumſit. priſcos illos Romanos Numam Pompilium, Catonem, Plinium iuniorem, Piſones, Fabios, Cicerones, aliosqve literis & armorum gloria claros imitatus, qvi in magno licet honore conſtituti, agriculturæ nihilominus ſe ſtudioſisſimos profesſi ſunt. Sed qvando omnis felicitatis noſtræ fundamentum ac baſis in vera pietate fideiqve cognitione ſita eſt, inde Deum ſumma ſemper veneratione coluit, omnemqve ſalutis ſpem hinc deducendam unice exiſtimavit. Iam, qvid de inſveta humanitate eius, qvid de liberalitate commemorem? Teſtantur hanc, qvotqvot in ſemetipſis experti fuerunt. Nunc in luctu omnium ſunt animi, tali tantoqve patrono orbati. Flagrans ubiq; tanti Mæcenatis deſiderium: multaq; extinctæ virtutis commendatio. Cumprimis nobilisſimæ genti veſtræ non vulgare hic eſt acceptum vulnus, ſed late penetrans, intimaqve pervadens. Interim mœrentem animum ad firmitatem revoca, & in gentilis encomio, famam virtutemq; tuam agnoſce. Sic tu raro tuos, te tui lugeant ſero. VALE! eruditorum oraculum, Muſa decima, & Charitum qvarta. ſed hoc Hekelii mei, in eruditis ad Cluverium notis, de te elogium eſt, ne aliena mihi ſumam. VALE! cum ſeculi noſtri Elia, incomparabili Spenero. Scrib. Thorunii d. 26. Aug. 1693.

MAGNIFICI NOMINIS T.

devotisſimus

PAVLVS PATER,